

T10

Tebaide XII, 429-446
La fiamma divisa

- Ecce iterum fratres: primos ut contigit artus
 430 ignis edax, tremuere rogi et novus advena busto
 pellitur; exundant diviso vertice flammae
 alternosque apices abrupta luce coruscant.
 Pallidus Eumenidum veluti commiserit ignis
 Orcus, uterque minax globus et conatur uterque
 435 longius; ipsae etiam commoto pondere paulum
 secessere trabes. Conclamat territa virgo:
 “Occidimus, functasque manu stimulavimus iras.
 Frater erat; quis enim accessus ferus hospitis umbrae
 pelleret? En clipei fragmen semustaque nosco
 440 cingula, frater erat! Cernisne ut flamma recedat
 concurratque tamen? Vivunt odia improba, vivunt.
 Nil actum bello; miseri, sic dum arma movetis
 vicit nempe Creon, nusquam iam regna: quis ardor?
 Cui furitis? Sedate minas; tuque exul ubique,
 445 semper inops aequi, iam cede; hoc nupta precatur,
 hoc soror, aut saevos mediae veniemus in ignis”.